

multis horis atrociter dimicatum : fusi demum fugatique hostes , dimidia copiarum parte amissa , ingentem Christianis victoriam reliquere . Nec unum id prælium iis ad Antiochiam sedentibus cum hoste commissum , sed sæpius , ut fit , per occasionem alterius partis vario eventu pugnatum : nonnunquam etiam in aciem utrinque descensum : quo accidit , ut fames frequenter fit hostium commeatibus levata . Demum Pyrrhi cujusdam Antiocheni viri illustris proditio (qui Boemundi fama allectus ad id se facinus compulsus videri voluit) noctu nono ferme mense postquam urbs ipsa obsideri cœperat , capta est . Cassianus Rex inter nocturnam trepidationem , ubi hostem in urbe esse sensit , per averfam portam egressus in propinquos montes abiit : sed præ nimio , ut fit , metu , quum parum caute silvas saltusque urbi proximos incertis itineribus lustraret , ab Armeniis ipsorum , ut diximus , locorum incolis obtruncatus est . Antiochia recepta , paucis diebus non procul urbe , majore quam unquam alias prælio in Corbanam Persarum Regis præfectum , & Sensadolum Cassiani filium est dimicatum : ad centum millia hostium eo prælio cæsa dicuntur , ac præter equos cæteraque jumenta , quindecim camelorum millia capta . Secundum tam prosperam nostrorum ducum pugnam , Antiochenæ arcis præfectus , qui ad eam diem impigre locum defenderat , se Boemundo tradidit . Urbs , quam ducum omnium consensu , Hugone cognomento Magno ad hoc ipsum Constantinopolim misso , Alexio concessam ferunt , nec ab eo acceptam ; Boemundo omnibus suffragiis , uno Raimundo Ægidii Comite adversante , data est : quod ipsum ut fieret , Pyrrhum ante proditiōnis diem cum Christianis ducibus pactum fuisse ferunt . Creditum vulgo est , Alexium beneficium accipere noluisse : quia confcius suæ parum integræ in Gallos & Germanos fidei , veritus sit , ne quid doli eorum liberalitati inesset : quibus se merito , ob fœdera non servata , suspectum sciebat . Etenim neque commeatus miserat , neque alia multa in magnis difficultatibus a fociis quæsitæ , ex fœdere præstare curarat . Concessa Normano Antiochia , quarto postquam recepta est mense mota sunt castra ; ad Rugiam primo ventum , inde ad Alba-

*Capitur
tandem .*